



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

De semine, menstruoque sanguine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

opus est aliquid ab eo diuersum producat, sed eandem potest communicare virtutem: quæ si sit agentis substantia, eadem agentis substantia communicabitur. Ergo cum in Deo gignendi virtus & generatio sint idem, tum inter se, tum cum essentia & natura diuina; eandem numero essentiam & naturam communicat genito; suntque idem prorsus gignendi virtus, generatio, diuina essentia, & generationis terminus. Nam cum actio sit idem re cum forma, quæ producitur; actioque immanens idem cum suo principio quo: consequens est diuinam generationem idem esse cum termino & cum principio, eandemque numero patris ac filij naturam: manente tamen suppositorum distinctione in omni generatione necessaria. Quocirca etsi natura lumine cogitare non possit generationem ullam, quæ eadem numero gignentis natura cum sola suppositorum distinctione genito tribuatur: si tamen reperiretur, omnium esset perfectissima; quia cum gignentis & geniti distinctione summa esset & perfectissima natura vnitas. Re ipsa verò eam in Deo reperiri; nullamque implicationem, sed perfectionem maximam continere; certissima religione cognoscimus: rationemque formalem generationis vniuersè spectatæ intelligimus nequaquam includere mutationem, sed originem solam vnus ab alio, abstrahentem ab omni mutatione. In diuina enim illa generatione nulla mutatio: quia nihil fit, quod antea non esset.

In generationibus tamen inferiorum adest semper mutatio. Tum quia cum rem totam producere nequeant; subiecti oportet subiectum aliquod, quod ab vno termino ad alterum transeat. Tum quia etsi essentia communicabiles sint, solumque suppositum conditione sua incommunicabile: creatæ tamen naturæ, quia finita est, repugnat eandem numero alteri communicari: quia non potest terminos suos excedere, quibus in illo indiuiduo est constituta. Quòd si actu existens abstraheret ab hoc termino, communicare se posset. Propterea enim natura ab indiuiduo abstracta, quòd abstrahat à termino, in infinitum communicabilis est; quòque magis abstrahitur, magis communicari potest: & genus pluribus, quam species, communicatur: natura numerica, quòd sit summè determinata, limitata, & quasi ligata, nulli alteri communicare se potest. In Deo potest, quòd natura illa in persona patris est planè infinita & illimitata. Et ideo generatio illa mutatione caret: tum quia eadem numero patris natura communicatur filio, neque fit de nouo: tum quia nulla ibi materia, nec transitus à non esse ad esse; cum sit æterna.

Duo in generatione terminorum genera.

Triplex in generatione.

Hinc verò illud etiam erit manifestum; In inferiorum naturarum generationibus duo prorsus terminorum genera reperiri: vnum, quatenus est generatio: alterum, quatenus adiunctam habet mutationem. Vt est generatio, conuenit illi solum terminus ad quem; suppositum, quod gignitur. Generatio enim vniuersè spectata, vt abstrahit à mutatione, sic abstrahit quoque à priuatione & termino à quo. Vt autem fit cum mutatione, terminum habet à quo & ad quem, priuationem, & formam. Quare triplex in ea tran-

situs consideratur: primus est processio genita à gignente: alter subiecti à non esse ad esse, à priuatione ad formam: tertius formæ à potestate ad actum. Triplex item influxus: vnus gignentis, alter materiæ, tertius formæ. Primus actiuus, alter passiuus, tertius formalis. Quare imperfectissima sunt eiusmodi generationes: quoniam gignens non dat totum esse; sed materiæ supponit, quæ simul cum illo influit, tum ad effectus constitutionem, tum etiam ad educationem formæ. At generatio diuina est omnino ex parte perfectissima, cum nec eget præesistente subiecto, à quo iuuetur; nec partem solum, sed totum planè esse tribuat ei, quod gignitur. Atque vt est sine mutatione, sic posterius illud terminorum genus, priuationis & formæ, non admittit. Ac demum cum sit æterna, omni caret influxu & causalitate; solamque habet rationem principij & originis vnus ab alio.

Altissimam hanc & admirabilissimam generationem cum non possit Philosophus solo natura lumine assequi, solasque intueretur sublimes ad res procreationes, quæ semper cum mutatione perhærentur: optimè sanè definiuit in tex. 23. prioris lib. de ortu & interitu, generationem vniuersè spectatam totum in totum mutationem esse: & sursum in lib. de iuuent. & senect. cap. 14. viuentium propriam procreationem esse primam nutritiuam animæ cum calido participationem. Sic enim in omnibus sublunariis habet. Ex dictis autem satis perspicuum est, quid sit tum vniuersè, tum in specie, procreatio hæc, quæ viuentium propria existimatur. Ea però in plantis seminis à planta geniti atque in terram proiectiuo satis absoluitur. In animalibus autem, perfectioribus præsertim, tria poltuler: sexuum diuersitatem, eorumdem amplexum & congressum, ac demum materiam quamquam vtrinque suppeditatam. Itaque totius operis explicatio quatuor omnino capitibus continetur. Primum enim de duplici sexu, maris & feminae, in hoc opere prius necessario dicendum est. Deinde de maris semine, feminaeque mestruo sanguine; quibus vtrinque, quòd moluitur, absoluitur. Tum de vtriusque ad procreandum concursu. Ad extremum de fetus in vtero formatione, tamquam admirabilis operis molitione. Sed cum de primo capite dictum sit in libro de animati corporis temperatione, de reliquis dicendum superest.

DE SEMINE, MENSTRVO QVE sanguine.

Sicut semen dicas, sine genituram, perinde est. Nam & mei patris, de genitura, scripsit Hippocrates, & mei subleuato, de semine Galenus; & ille genituram passim appellat *ovis*; & Aristoteles in primo de an: ortu cap. 18. genituram dixit id esse, quod à generante proueniens causa est, quæ prius obtineat generationis principium. Hoc ipsum autem est semine: et si magis viderit is ens perfectum ex duobus principis maris & femina significare. Illud igitur statim in religendo semen excrementum esse quoddam sanguinis, nutritioni superfluum atque ex nutritionis reliquiis genitum.

genitum; cognosci posse, tum ex illius generatione & vas, quibus continetur: tum ex eo, quod propterea pueri & senes non emittunt semen, quod nulla illis reliqua superflua; quique Veneri nimium indulgent, cruentum emittunt semen: tum ex Aristotele in 1. lib. de animalium ortu cap. 18. & 19. vbi ait esse excrementum vltimi alimēti mutati: & lib. 3. de eorundem histor. cap. 22. vbi animalium sanguineorum, tamquam proprium ponit emittere semen. Quod si in probl. 51. sect. 1. scriptum sit, semen pituita naturam ferre; illud propterea dictum est, quod seminis emissio excrementi cuiusdam detractio sit, quemadmodum pituita eiectione: atque vtiusque purgatio morbis quibusdam proficit. Hoc nimirum eo loco indicauit Philosophus. Tum verò in 1. lib. de animalium ortu cap. 18. cum & semen & pituitam excrementa esse pronuntiauit: sed illud vtile & alimenti vltimi; hæc inutile atque ex primo alimēto acceptum. Verum aliud quiddam est, in quo semen sit pituita per simile: quod ex secundo eiusdem operis lib. cap. 2. cognoscimus. Etenim semen est natura humida & aquea, quemadmodum pituita. Sed præter aqueam illam & humidam partem, spumam aliam habet, æream & calidam; quæ facit vt nunquam congelari possit. Quoniam aer incongelabilis est. Itaque semen commune quidpiam est spiritus & aqueus: & idem calidum & humidum. Quam ob causam tum ab Hippocrate quoque, tum ab aliis scriptoribus, nunc igneum, nunc aqueum fuit appellatum. Ignium & calidum, propter contentum spiritum: aqueum & humidum, propter sanguinem. Adde etiam coloris similitudinem. Omnium enim animalium semen est album, quemadmodum pituita. Quam ob causam iure optimo reprehendit Herodotum Aristoteles, qui Echiopum semen nigrum esse affirmasset.

Cæterum omittendum illud non est, quod multis peperit difficultatem; quam ex causa spumositatis feminis oritur. Seminis natura aquea est & ærea. Aquea, quia diffunditur, liquidumque est & humidum. Aërea verò, tum ex albicante colore cognoscitur, tum ex calore: quia cum debeat generare animal, omnesque fetus partes penetrare & formare, calidum & æreum sit oportet. Sed & cuiusvis rei spuma oriri potest, aut ex concussione; vt patet in mari, ovo, oleo, alioque simili concusso. Nam eo motu permiscetur aer cum illo corpore, & inde spuma existit. Aut ex immersione vltius corporis in aliud; vt cum aqua in vinum infunditur. aer enim permiscetur; quoque ex altiore loco descendit aqua, maior excitatur spuma, quia plus aeris & cum maiore vi permiscetur. Aut ab externo calore; quemadmodum in aqua feruente. Aut demum ab insito & innato calore; quemadmodum in musto. Seminis igitur spuma ex innato calore partemque ærea contenta ortum habet.

Hæc autem cum sit natura feminis, calida & humida; optimè conuenit cum sanguine. Et quibusdam accidit id, quod Aristoteles obseruauit; vt immoderato Veneris vsu cruentum semen emitterent. Homo sui corporis proportionem plurimum semine emittit: quia plurimum sanguinis & caloris habet. Oblati non multum habent feminis; quia nec multum sanguinis. Pueri quoque & decrepiti; illi,

quia totum sanguinem nutriendo absuntunt: hi verò, quia cum parum nutriantur, parum habent caloris & sanguinis. In venarum exilitatem retulit causam Hippocrates in lib. de genitura, cur pueris non fluat: parum meo iudicio accommodatè. nam illa satis conueniunt corpufculo. Eunuchi item semine carent; quia caloris inopiam habent, & testibus carent, vbi feminis est officina; aut saltem meatibus, quibus continetur & effunditur.

Sed hoc inter antiquos Philosophos & Aristotelem disputatum magnopere fuit. Affirmarunt enim illi, semen ex omnibus corporis partibus secerm; & Hippocrates in eodem lib. de genitura, & initio lib. 4. de morbis, & in lib. de aere, aquis, & locis, eandem sententiam docuit. Tum quia in illius emissionem vniuersum corpus & membra omnia delectationem sentiunt & laborem; nec parum debilitantur & franguntur. Vnde coitum Democritus paruum Epilepsiam appellauit. Tum quia animal diminutum & mancum procreat aliud sibi simile; cum eiusdem scilicet partis læsione; partisque toti parentum corpori & singulis partibus assimilatur. Aristoteles verò longa oratione illorum sententiam profligauit. Vasa enim sunt quædam coquendo, conseruando; & emittendo semini præparata; testes & spermatica vasa; tum deferentia, tum iaculantia. Et vt in cæteris facultatibus vnum aliquod membrum necesse est illarum functionibus immediatè exercendis præesse; quamuis aliud sit, à quo prima ducatur origo: sic in facultate gignendi vnum aliquod esse oportet, quod illius actione fungatur. Neque credi potest, tam breui tempore ex omnibus partibus decidi semen; cum breuissimo interdum tempore operatio illa perficiatur: nec raro etienit, vt vel leuissimo tactu, vel osculo emittatur semen.

Quod verò post veteres illos dixerunt aliqui, ex alimento iam in singulis partibus & poris membrorum cocto superfluum quandam partem venas subire paruas, deinde magnas, quousque tandem perducatur ad cauum, indeque ad feminaria deduci vasa, & testes: mihi quidem certè non videtur credendum: cum ne intelligi quidem possit, quomodo superflua illius partis regressus fiat per venas, quæ alium semper sanguinem ad alenda membra deducunt. Nam præterquam quod nulla est efficiens causa, à qua pars illa sanguinis pulsa retrocedat, dum semper membra sanguinem trahunt, quo sustententur: qua ratione poterit ab illis separari, quem iam habet; cum omnes venæ sint plene, ac inter eas minima illa, quas primas subire oporteret; qua via redire poterit; & cum semen fiat ex parte vtilis alimenti; numquam membra partem dimittent sanguinis, qua nutrirè possint; cum interim in alio attrahendo laborent. Sunt qui ex cerebro spinalique medulla semen deriuent; Hippocratis autoritate suffulti in lib. de genitura, & lib. de ossium natura. Sed nullæ sunt ab eo membra ad testes via, quæ deducant semen; nisi tenuissimi fortasse neruuli; non feminis, sed spiritus tantum delatores.

Denique à cerebro, corde, & iecore Auenenna. Quod & veteres poetæ significasse dixeris, cum Venerem cum Marte coeuntem à Mercurio, Apolline, ac Neptuno dixerunt respici; Mercurius cerebrum, Apollini cor, Neptuno iecur indicantes.

quod ea ex parte verum existimari potest, qua iecur sanguinem, cor & cerebrum spiritum semini gignendo suppeditant.

Esto hæc igitur vera sententia. Sanguis in iecore genitus ita per venas in omnes corporis partes distribuitur, vt pars aliqua immediatè spermaticis vasibus suscepta perficiatur sensim & albescat, tandemque in testibus omni ex parte perfecta, coniiciatur in vuluam. Itaque non ex tertia, quæ est in singulis membris, sed ex secunda iecoris coctione seminis materia deducitur. Nam & immediatè descendit ex iecore, vt in 16. lib. de vsu partium cap. 10. confirmat Galenus. Proptereaque natura, quæ alioqui compendio vititur, atque ex proximis locis venas & arterias deriuare solet; ad solos testes & mammillas ex remotis locis accipit, vt diutius sanguis longiore mora coqueretur. Neque vt lacti, sic semini sola interualli longitudo fuit satis. Sed vt accuratius coqueretur, tum ex longinquo venas & arterias deriuat ad testes & mammillas, tum præterea multipliciter eas, prius quam inferret, inuoluit; vt longior mora maiorem coctionem & perfectionem faceret. In tertia autem coctione singulorum membrorum, in eorum substantiam mutatur sanguis, fit solidus, & eterogeneus; quæ omnia plurimum distant à seminis mollis & homogenei natura.

Concludamus ergo, seminis materiam ex iecore potissimum & corde decidi; ex quibus sanguis & spiritus, quibus constat semen deriuentur. Formaliter tamen decidi ex testibus: quoniam perficitur in illis, formamque seminis accipit. Ad seminis tamen emissionem concurrunt maximè præter testes cor quoque & cerebrum, spiritus impulsione, motuque & agitatione totius corporis. Præter eum enim motum, qui ab his duobus membris pendet, accedit spiritus vi cordis & cerebri; qui permixtus semini emissionem iuuat formatricemque virtutem addit. Semen etiam calidissimum est & spiritu plenum; dumque genitales partes acerrimi & exquisitissimi sensus motu suo titillat, corpus vniuersum in sympathiam trahit. Nam & in pruritu totum titillatur corpus, dum vnica pars prurigne afficitur. Hinc delectatio oritur partium omnium, labor, & fatigatio post coitum, dolor & vacuitas capitis, mentisque hebetudo: ac demum hinc est, quod sæpè dormientibus nobis aut alio quouis tempore, absque vlla corporis agitatione, ex sola vehementi imaginatione, emittatur semen. Accurrens enim spiritus aperit meatus, & semen propellit. Quocirca Hippocrates eos scripsit, quibus venæ iuxta aures sectæ sunt, coire quidem & genituram emittere, sed modicam, debilem, & infœcundam; quod virtutis illius ex capite descensus impediatur. Certè formatio fœtus, cæterique omnes effectus admirabiles, cuiam alteri causæ tribuantur? Generatio opus est totius viuientis, summoque indiget calore, qui in spiritu inesse creditur: arteriæque genitalibus partibus inferuntur, quibus plurimus ad eas effunditur spiritus. Atque huc commotio spectat & agitatio membrorum omnium in coitu: nimirum vt spiritus operationi illi necessarius subministraretur. Atque propter huius spiritus virtutem in formando fœtu

præcipuam fit interdum fœtus omni ex parte genitoribus similis. Quamquam nemo est, qui non intelligat, quàm sæpè accidat, vt filij parentibus quàm dissimillimi nascantur.

Verùm de hoc pluribus postea. iam de femininarum menstruo sanguine. Hunc sanguinem excrementum esse, tum Aristoteles ostendit in primo lib. de animalium ortu cap. 19. & lib. 4. cap. 1. & pluribus aliis in locis; tum ratio persuadet ex illius natura ducta. Quoniam nil aliud est quàm sanguinis portio incocta, feminaque minimè necessaria, quin potius noxia. Quæ propterea statim temporibus purgatur; quemadmodum excrementa cætera. Quod ex frigida & humida nimis temperatione oritur, quæ perficere coquere nequit. Quare etsi maris quoque semen pars quædam sanguinis est, sanguis tamen est omnino coctus & bonus: & ideo illius emissionem debilitatur magnopere corpus, viresque maris minuitur. At menstrui profusione vegetior fit femina. Tum quia ex illo vitilis pars quæpiã exiit, ex hac verò materia profus exitiosa. Tum quia seminis emissionem magna spiritus copia emittitur profusus menstrui nequaquam; quia in eo sanguine perexiguus spiritus continetur, & sine corporis commotione purgatur.

Menstruum porò sanguinis partem esse; ita est omnibus certum & sensu ipso confirmatum, vt probatione non egeat. Adhuc enim vasa, quibus purgatur, & eaque sunt venæ, quæ in vterum ingrediuntur: venis autem comportatur sanguis. Et quando profuit menstruum, nec ex naribus, nec alia ex parte fluit sanguis. Quin etiam in mammillis lac cessat. Aut si quid horum fortasse adsit, deterior est purgatio menstrua.

Vtile tamen excrementum est; quia materiam, ex qua in vtero formatur fœtus: nec fieri bona conceptio potest, nisi menstruum quantitate & qualitate fuerit benè dispositum. Fœtu autem concepto non amplius fluit vique ad partum. Hinc est, quod eo potissimum tempore incipiat fluere, quod est conceptioni ac procreationi opportunum: cesset autem, vbi concipere amplius non potest femina, quod ferè est circa quadragesimum nonum vel quinquagesimum annum. Cur ante & post hoc tempus non fluat, eadem est causa, quam exposui esse, cur pueri & decrepiti semen non habeant.

Viris etiam & feminis fluxu seminis ac menstrui magna fit in corpore vniuerso mutatio; tum quoad vocem, pilorum generationem, & huiusmodi alia; tum etiam quoad mammarum tumorem, totiusque corporis titillationem, quæ ex eo nascitur, quod nimius sanguis exitum querat. Mulier in vniuerso animalium genere plurimum habet menstrui; quod pilis caret, cornibus, & huiusmodi aliis, in quæ solent animalibus cæteris excrementa conuerti. In mulieribus autem, quæ vitam otiosam & inertem degunt, gulæque ac ventri magis indulgent, plurimum excrementi huius sanguinis congregatur.

Qui propterea mensurus vocatus est, quod singulis mensibus fluat. Cuius periodi rationem aliam non exposuit Philosophus in 1. lib. de animalium ortu cap. 4. & lib. 4. cap. 2. quoniam

Spermatica
vasa.

Semini
emissio.

lunæ motum. His enim verbis est apud ipsum. Vt A
 "menstrua secundum naturam mensibus decref-
 "centibus potius fiant; eandem ob causam acci-
 "dit. Tempus enim hoc mensis frigidius est &
 "humidius, propter lunæ decrementum defectio-
 "nemque. Quo loco aperuit quoque causam, cur
 "eo potissimum tempore, quo luna decrescit, pur-
 "gentur menstrua: quia cum frigidus sit & hu-
 "midus illud tempus, incoctus humor magis ab-
 "undat.

Hoc ipsum tamen difficultatem habere vide-
 tur, propterea quod humida omnia, quibus do-
 minatur luna, in plenilunio potius abundant; vt
 videre est in conchiliis & huiusmodi aliis. Egi B
 hac de re pluribus in lib. de actione Cæli: vbi
 plenilunij tempus ostendi calidius esse reliquo;
 quia magis abundat lumen; quod cum corpo-
 ris humiditatem mouere possit, non resolueret,
 humidius efficit. Sed hoc verum est de humidi-
 tate illa, quæ qualitas est inhærens corpori &
 per ipsum sparfa. Hæc enim ab eo calore ad ex-
 teriores partes vocatur; & idem hic ipse plenilu-
 nij calor humidiorum fortasse faciet feminæ car-
 nem sua natura mollem & humidam. Sed cum
 sanguinis illa profusio non calore aut humidita-
 tis euocatione fiat; sed frigore potius & inco-
 ctione abundet in corpore: eo maxime tempore
 decrefcentis lunæ abundat atque effunditur, quia
 illud frigidius est. Accedit consuetudo naturæ
 certaque in omnibus rebus periodus. Consuevit
 enim stas temporibus singulas res efficere: illud
 que constituit mensurorum tempus.

Non omnibus tamen mulieribus idem est tem-
 pus: sed aliis atque aliis lunæ diebus: & quibusdam
 plenilunio fluunt. Virgines ferè triduo purgantur;
 molliores & otiosæ diutius, vel etiam per septi-
 manam: & omnino pro varietate coloris, tem-
 peramenti, ætatis, habitus, & anni temporis,
 nunc parcius, nunc liberalius profluit sanguis.

Neque in omni animalium genere reperiu-
 tur menstrua: sed in eo solum, in quo est san-
 guis & semen: quodque intra se concipit sæ-
 tum, & viuum parit. Nil enim aliud sunt men-
 strua, quam sanguis, ex quo sætum concipi oportet.
 Nisi enim in eum finem instituerentur, san-
 nè potuisset natura pluribus aliis modis materiam
 superfluum purgare. Postremò exitiosa prorsus
 ac perniciosissima fertur esse sanguinis huius natura: de
 cuius effectibus extant multa apud Hippocratem
 libro primo de morbis mulierum & Plinium lib.
 7. cap. 15.

DE MARIÆ ET FOEMINÆ AD F.
 procreandum concusum.

I Am verò ad tertium caput accedamus; ma-
 risque ac feminæ ad procreationem concu-
 sum exponamus. Principio illud accipiatur, quod
 ab omnibus statui animaduerto: facultatem gi-
 gnendi per semen bipartitam esse. Duplex enim
 est illius opus, feminis preparatio, & formatio
 sætus. Illa generationis instrumentum facit, hæc
 opus exequitur. Prior, quæ procreatricis virtu-
 tis nomen retinuit, in ipso duntaxat viuentem re-
 sidet, quasi potioris ac præcipui agentis virtus:
 posterior est in semine, vt instrumenti virtus,
 prioris quasi vicaria. Prior igitur in plantis qui-

dem sparfa est & fusa per totum corpus, & præ-
 fertim per ramos, in quibus gignuntur semina: sed
 in animalibus principium habet atque originem
 à corde, quemadmodum cæteræ omnes facul-
 tates. In alia tamen quadam parte exercetur; de
 qua Galenus & medici cum Aristotele ac Peri-
 pateticis contendunt num ea in testibus, an in
 seminariis vasculis relideat: atque in libro de etero-
 geneis partibus à nobis pronuntiata senten-
 tia est.

Vbiunque autem hæc virtus esse dicatur, si-
 ue in meatibus duntaxat, siue etiam in testibus;
 has omnes efficere debet operationes. Primum
 trahere sanguinem ad illa vasa, hoc est partem
 illam alimenti iam mutati, quæ mutari in se-
 men debeat. Deinde magis illam coquere & per-
 ficere in viscosam & albam materiam; sicut &
 lac in mammillis coctione albescit. Tum verò cum
 illa miscere spiritum, ex quo vim totam for-
 mandam sætus accipiat. Postremò totam illam
 massam pudendo in vterum feminæ velut sæ-
 cundam terram conijcere: vbi cum sanguine
 menstruo & semine feminæ permixta totum for-
 mat sætum & producit animal. Itaque licet se-
 minis materia pars quædam sit vltimi alimenti,
 quod nutrientis virtutis coctione fuit mutatum;
 quatenus tamen procreationis est instrumentum
 ad gignendum aliud comparatum, eamque habet
 qualitatem temperationem, qua & forma-
 re sætum in vtero, & præparare materiam, &
 animam demum producere possit: sic sanè ab
 hac procreandi facultate perficitur, quæ partem
 illam alimenti in spermaticis vasculis & testibus
 susceptam variis ac miris modis afficit & tem-
 perat, tandemque illi virtutem eam largitur.

Venio ad alteram virtutis huius procreatricis
 partem, quæ formandi sætus & absoluedi ope-
 rit vim habet. Hæc, quasi effectus est aut po-
 tius instrumentum prioris, residetque in elabo-
 rato iam semine. De qua ita loquitur Aristote-
 les in 2. lib. de animalium ortu cap. 1. quod,
 inquit, semen efficit, mouet cum aliquid teri-
 gerit, quamquam non adhuc tangit: & motus,
 qui inest, quodam efficit modo; vt ædificatio
 ades; & quæ sequuntur. Inest autem, tamquam
 accidens in subiecto, in spiritiosa illius parte
 spumosa, & magis tenui. Eiusque obiectum seu
 materia, circa quam velut artifex versatur, est
 pars altera crassior & sanguinea in animalibus,
 simul cum sanguine menstruo semineque femi-
 neo. Ex his enim tamquam materia viuētis om-
 nia membra format, totumque corpus absoluit.
 Propria illius operatio est materiam illam alter-
 rare, & alio atque alio modo disponere: tum
 formare membra: quam ob causam forma-
 trix virtus appellatur: animamque demum ex
 materia illa opportunè disposita ac præparata edu-
 cere; si fuerit materialis anima, quæ educi pos-
 sit. Alteratione gignuntur homogeneæ partes, for-
 matione eterogeneæ; vt in 1. lib. de naturalibus fa-
 cult. cap. 5. adnotauit Galenus.

Verum tam admirabilis structuræ opus irratio-
 nalis facultatis esse non videtur; sed artis opti-
 mæ & principis: & Auerroës in comm. 21. lib. 7.
 metaph. diuinam virtutem appellauit. Qui enim
 fieri posset, inquit idem Galenus in libro de sæ-
 tum formatione cap. 6. vt talis humor, qualis

In qui-
bus sit
aroma-
bilis.

Cris-
tine fa-
cultas
biparti-
ta.

Semi-
naria
virtutis
opera.

De vir-
tute for-
matri-
ce.

Forma-
trix vir-
tus
quid.